



IONATHAS fratre Iuda Machabæo interfecto Dux populi constituitur anno mundi 3808. ante Christum natum 154. Hic statim Bacchidem, cum quo pugnans occubuerat Iudas, ad Iordanem vicit. Tertio posthæc anno, collecto ingenti exercitu iterum in Iudæam venit Bacchides, Ionathan cum Simone fratre obsedit, tandemque commissa cum Bacchide pugna, fusus est Bacchides ipse: qui rebus accisis, coactisque pacem amplecti, iuravit se nunquam in Ionathã quicquam moliturum. Alexander Epiphanes, Antiochi filius, audiens Ionathæ famam, amicitiaæ fœdera cum eo fanciuit. Demetrii præfectum Apollonium Ionathas bello fundit ac fugat, multasque vrbes capit: octo hostium millia occidit: templum Dagon, quod erat in Azoto, vnã cū vrbe incendit. Posthæc aduersus alienigenas qui Iudæam vastabant, mouit, atque eos tota Iudæa expulit: & cum Romanis ac Spartiatis amicitiaæ fœdera renouauit. Tandem Tryphon simulata amicitia cum circumuentum cum suis interfecit. Vide li. I. Macha. ca. 9. 10. 11. & 12. rexit. an. 15.

SIMON occiso fratre Ionatha, Dux populi creatur anno mundi 3823. ante Christum natum 139. Hic Gazam urbem, quam cepit, ab idolis purgauit: fœdus cum Romanis ac Spartiatis redintegrauit. Cendebæum Antiochi præfectum fudit, fugauitque. At verò, vt sunt hominum fata in temere fortunæ variantis arbitrio, tandem cum filijs duobus atque aliquot seruis, in cõuiuio, atque à Ptolemæo genero suo dominium affectante, qui ei conuiuium appararat, interficitur. vide li. I. Macha. ca. 13. 14. 15. 16. & Iose. li. Anti. 13. ca. 9. 10. 11. 12. rexit an. 8.